

## TSJCL Area F Sight Recitation 2015

**Advanced – Poetry (Levels 4 & 5): Aeneid Book I, ll. 279-296**

... *‘Quīn aspera Iūnō,*  
*quae mare nunc terrāsque metū caelumque fatīgat,* 280  
*cōnsilia in melius referet, mēcumque fovēbit*  
*Rōmānōs rērum dominōs gentemque togātam.*  
*Sīc placitum. Veniet lūstrīs lābentibus aetās,*  
*cum domus Assaracī Phthīam clārāsque Mycēnās*  
*servitiō premet, ac victīs dominābitur Argīs.* 285  
*Nāscētur pulchrā Troiānus orīgine Caesar,*  
*imperium Ōceanō, famam quī terminet astrīs,*  
*Iūlius, ā magnō dēmissum nōmen Iūlō.*  
*Hunc tū ōlim caelō, spoliīs Orientis onustum,*  
*accipiēs sēcūra; vocābitur hic quoque vōtīs.* 290  
*Aspera tum positīs mītēscent saecula bellīs;*  
*cāna Fidēs, et Vesta, Remō cum frātre Quirīnus,*  
*iūra dabunt; dīrae ferrō et compaāgibus artīs*  
*claudentur Bellī portae; Furor impius intus,*  
*saeva sedēns super arma, et centum vīnctus aēnīs* 295  
*post tergum nōdīs, fremet horridus ōre cruentō.’*